

Tempore (13) non multo senio maturus & annis
 Visitat antiquos funere Caesar avos.
 Funera digna parant, mandatur mēbra sepulcro
 Basilica in propria, quam sibi fecit Aquis.
 Mittitur interea narret qui funera nato
 Patris; adest Rampho (14) qui celer ire parat.
 Nocte dieque volat, terras perlabitur amplas,
 Pervēnit tandem, quō Hludovicus erat.
 Trans fluvium Ligeris locus est quippe uber,
 & aptus;
 Cingitur hinc silvis, hinc quoque planicie,
 At mediis placido fluviorum gurgite vernat,
 Piscibus est habilis, est locupleque feris.
 Quo Hludovicus ovans præcella Palatia struxit.
 Quæris inest *Theodvat* (15) nomen amice sibi.
 Huc pia subjectæ cenfebant munia plebi,
 Clerum, seu populum cum pietate regens.
 Cum subito penetrans totam commisit aulam
Rampho, ferens Caroli funera mœsta pii.
 Hæc ut fama boni pervēnit Regis ad aures,
 Illico tristatur, flet, lachrymatque patrem.
 Inter cunctantes concurrunt *Bigo* ministros:
 Suetus erat dominum visere mane suum.
 Hortatur ficare genas, deponere fletus:
 Altera, ait, causa est nunc peragenda tibi.
 Hæc ut nota manēt vestro sub pectore, Princeps,
 Humani generis fors tenet ista viros.
 Nos omnes, fateor, porrō properabimus illuc;
 Non tamen ex illis quis repedare valet.
 Surgite, & Ecclesi cuncti properemus in almā:
 Hymnica vota Deo psallere tempus adest.
 Auscultans famulum, tandem surrexit, & omnes
 Hortatur secum solvere vota Deo.
 Nox fuit illa quidem Psalms Hymnisq; referta,
 Missarum modulis atque peracta dies.
 Tertia jamque dies claro surgebat Olympo,
 Resplendetque suis Phœbus in Orbe comis.
 Cū undiq; turba ruit Francorū concita Regnis,
 Regis in occursum plebs petit omnis ovans.
 Et Caroli Proceres prorfus, Regniq; priores,
 Atque Sacerdotum currit amica cohors.
 Denfanturque vie, replentur claustra domorum;
 Non capitur tecto, scandit in alta domus.
 Flumina non retinent trepidos, nec horrida silva,
 Nec glacialis hyems, nec pluviosa dies.

Qui rate non valuit, fatagens hic fortē natatu
 Trans fluvium Ligeris certat abire prior.
 O quantos populos celsa de rupe videres
 Absque rate in fluvium se dare præcipites!
Aurelianenses (16) illos risere natantes:
 Turre vocant summa: litus amate viri.
 Unus amor cunctis erat, omnibus una voluntas,
 Cerpere quo faciem Regis ad usque queant.
 Conveniunt tandem, recipit quos Rex pius
 omnes
 Ordine quemque suo cum pietatis ope.
Aurelianus ovans Cæsar mox visitat urbem,
 Quo vexilla Crucis (17), sive *Aniane* manes.
Heburti felix, qui primò hanc perficis arcem,
 Seu *Maximine*, sancte *Avite* micas.
 Inde *Parisiacas* properant citò visere sedes,
 Quo *Stephanus* (18) Martyr culmina summa
 tenet.
 Quo *Germane* tuum colitur sanctissime corpus,
 Quo *Genevessa* micat virgo dicata Deo.
Irmino (19) plaude libens, quod sapius ecce
 rogasti:
 Cæsaris adventum, dante Tonante, vides.
 Nec tua præterit *Dionysi* culmina Martyr,
 Quin adiens tibimet posceret auxilium.
 Hinc iter arripiunt, Francorum Regna perā-
 grant,
 Tramite pacifico Rex *Aquis* ingreditur.
 Eja Camœna Deum precibus pulsare supinis
 Restat, quo nobis conferat eloquium.
 C Quid prius incipiam? cū quæ gerit omnia
 prima,
 Consent, atque micent gesta benigna viri.
 Denique limitibus firmatis ordine Regni,
 Finibus Imperii dispositisque simul,
 Protinus expendit thesauros largus avitos
 Pro mercede patris, atque animæ requie.
 Quæque patrum virtus Carolus congefferat, ipse
 Pauperibus tribuit, Ecclesiisque sacris.
 Aurea vasa dedit, vestes, seu pallia multa:
 Argenti cumulat ampla talenta meri.
 Spargit opes varias, arma innumerandaq; valde;
 Munera distribuit pauper habenda tibi.
 O felix Carolus, fobolem qui liquit in Orbe,
 Qui fatagit Cœli, quo pater, intret iter.
 D Car-

(13) Anno 814. ut supra innui, finem vivendi fecit gloriosissimus Imperator.

(14) In Vita Ludovici Pii eadem leguntur his verbis: *Defuncto patre piæ recordationis, missus est Rampho ab eis, qui sepulcrum ejus curavit, ut & mortem ejus Ludovicus mature cognosceret. Rampho autem, & Rampho dicitur ea licentia, qua olim Campio & Campio scribebantur. In Præcepto Ludovici Pii ad annum 823. spectante, apud Baluzium Tom. II. pag. 1425. Capitular. legitur, qualiter vir illustri Rapo Comes nostram adiit serenitatem, privilegium potens pro Monasterio Balneo-lesni in Dioecesi Gerundeni, quod idem Comes multis prædiis ditaverat. Sed legendum Rampho; idque ex altero Diplomate Caroli Calvi constat, ubi is anno 844. plura confirmat eidem Monasterio, quod Domulus Abbas una per licentiam Ramponi Marchionis propriis manibus construxit. Siquidem unus & idem fuerit Rampho Comes, & Rampho Marchio (pater enim & filius esse potuerunt) nunc dicemus, eum Gerundensem Comitem fuisse, ac subinde Marchionis titulo auctum, quod Marcae Hispanicæ fines contra Saracenos tueretur.*

(15) In prae laudata Ludovici Pii Vita traditur, quo tempore Carolus Magnus e vivis excessit, a Ludovico indictum fuisse Consilium generale in loco, cujus vocabulum est *Tobovandus*. Situm erat (& adhuc superesse dicuntur ejus vestigia) ejusmodi Palatum in Dioecesi Andegavensi. Nunc *Doadam* seu *Dovè* appellatur, variis nominibus memoratum ab Eginhardo, Thegano, Hincmaro, Annalista Ti-

liano, & aliis. De eo plura habes in Notitia Galliarum Hadriani Valesii, & in Diplomata Mabillonii Lib. 4. Cap. 142.

(16) Praeclara Aurelianensis Urbs, *Orleans*, sedet & ipsa ad Ligerim (*la Loyre*) sed supra Andegavensem, sive *Angers*, quo Aquilgranensium & Parisiensium ex Urbe potissimum populi confluebant ad invensum novum Augustum. Uti adnotatum in Vita Ludovici, ipse quoque *Rampho*, antequam perveniret *Theodvat*, *Aurelianensem* devenit ad Urbem.

(17) Ibi adhuc visitur omnium amplissimum, illudque Cathedralis Templum sub titulo Sanctæ Crucis Deo Opt. Max. dicatum. *Anianus*, *Heburtius*, *Maximianus*, & *Avitus*, sancti viri, sub quorum nomine insigniores aliae Basilicæ in Aurelianensi Civitate majore cultu frequentabantur.

(18) Et heic enumerantur præcipua Parisiorum Tempia, quæ pius Augustus tunc visitavit. Res nota nil aliud expocit, nisi quod hinc discere possumus, Basilicam Sancti Stephani paucis post Clodovei Regnum annis conditam, atque anno 1610. a Margarita Regina restitutam, olim inter præcipuas fuisse Parisiis, ne dicam præcipuam.

(19) Seu *Irmino*. Erat is Abbas celeberrimi Monasterii Sancti Germani de Pratis, cujus gloriam mirum auxerunt, & adhuc augere pergunt Clarissimi Monachi e Congregatione Sancti Mauri. Teste Eginhardo & iste Abbas subscripsit postremis tabulis Caroli Magni. Nonnulla ejus acta memorat Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 823.